



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. De organo & objecto auditus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Complutenses, & patet: quia quandoquidem color non possit producere speciem sui quin illuminetur, potius est dicendum quod id oriatur ex eo, quod indigeat concursu actiuo luminis, quam ex eo, quod lumen esset conditio sine qua non; neque enim potest ostendi quomodo haberet rationem conditionis, quandoquidem non applicet colorem, nec tollat impedimentum aliquod specierum eius.

Dices: color per se est visibilis: ergo non redditur visibilis per lucem.

Respondeo, distinguendo antecedens: est visibilis secundum se, ita ut se solo absque concursu effectiuo luminis possit producere speciem sui, nego antecedens: est visibilis per se, id est, ita ut visio possit ad ipsummet immediate terminari, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Dices, in hoc distinguitur sensibile proprium à communi, quod proprium per se primo attingitur à potentia, & non ratione alterius; commune vero attingatur non per se primo, sed secundario & ratione alterius: sed color est sensibile proprium: ergo per se primo & non ratione alterius est visibilis, & consequenter erit visibilis sine dependentia à concursu effectiuo luminis.

Respondeo primo negando maiorem, sed potius differunt in hoc, quod sensibile proprium percipitur ab vno solo sensu; commune vero percipitur à pluribus; unde si solus oculus videret motum, motus esset sensibile proprium, quantumvis non videretur nisi mediante colore, aut lumine.

Respondeo secundo, distinguendo maiorem: non ratione alterius, cuius ipsum sit modus, transeat; non ratione alterius, id est, mediante concursu effectiuo alterius, cuius tamen ipsum non sit modus, nego maiorem: & similiter distinguo primum consequens, & nego secundam consequentiam.

31. Quæres vltimo, an color sit obiectum materiale visus, an vero formale.

Respondeo, hic non posse esse quæstionem vllam nisi de nomine, nam si per obiectum materiale intelligatur obiectum, quod terminat quidem immediate visionem, sed tamen non nisi cum dependentia ab alio, quod aliud potest videri sine ipso, color sine dubio erit obiectum materiale, & lux seu lumen erit obiectum formale. At si per obiectum materiale intelligatur illud, ad quod visio immediate non terminatur, color non erit obiectum materiale, sed formalissimum. Et quia hic modus loquendi est sine dubio melior, & proprior, propterea absolute dicendum existimo quod color sit obiectum formale visus tam bene quam lux: nec refert quod inde sequatur dari plura obiecta formalia visus, hoc enim non est inconueniens de pluribus obiectis partialibus attingibilibus per diuersos actus.

Alia de lumine & luce possunt videri in *Commentario ad distinct. 13. supra*. Hæc ad propositum præsens sufficiunt.

QVÆSTIO II.

De organo & obiecto Auditus.

32. In aure reperiuntur plura quemadmodum in oculo, de quibus dubitari potest in quoniam ex illis producatur & recipiatur auditio. Intra enim partem externam aurium, quam oculis videmus, & foramen earum, reperiuntur membrana quædam, quæ miringa, seu tympanum dicitur, & intra illam substantia quædam acrea, hoc est, similis aeri, sed animata: ipsa porro membrana sustinetur tribus ossiculis, quorum vnum simile est in eudi, alterum malleolo, tertium stapedæ; & ad eam à cerebro duo nervi descendunt, qui auditorij possunt vocari, sicut nervi pertingentes ad oculos visorij appellantur.

CONCLUSIO I.

33. Organum auditus est aer ille seu potius substantia aeris similis intra tympanum inclusa. Hæc est communissima cum Philosopho 2. de partibus animalium con-

tra *Vesalium*, qui in ossibus; *Themistium*, qui in spiritibus; & *Complutenses*, qui non solum in aëre illo, sed etiam in nervis auditionem produci putant.

*Probat*ur, quia nulla alia pars magis ad hoc accommoda videtur: ergo cum communiter ita teneatur, nec aliqua ratio sit in contrarium, dicendum est quod illa pars sit organum auditus.

Confirmatur primo, contra *Vesalium*, quia illa tria ossicula non continuantur immediate: ergo in illis tribus auditio non fit.

Confirmatur secundo contra *Themistium*, quia spiritus illi non remanent stabiliter in aure: sed organum debet esse quid stabile: ergo.

Confirmatur tertio, contra *Complutenses*, per ea, quæ dicta sunt contra illos quæstione præcedenti de organo visus: & præterea quia illi duo nervi non continuantur inter se, sicut nervi optici, seu visorij.

CONCLUSIO II.

34. Sonus est obiectum adequatum auditui, & non bene describitur esse qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonorum, & medijs resilientia: sed bene describitur esse qualitas illa, quæ sentitur per aurem solum.

Prima pars est omnium, & patet, quia omnem sonum potest percipere, & nihil aliud, tanquam obiectum proprium, quod non sit sonus.

Secunda pars est contra *Complutenses*, & patet breuiter, quia ignoras sonum non potest intelligere quid sit corpus sonorum, quandoquidem hoc ipsum explicetur præsertim ab aduersariis esse corpus aptum efficere sonum: ergo pessime explicatur sonus per ordinem ad corpus sonorum. Omitto alias imperfectiones illius descriptionis, quia hæc sola sufficit ad illam reiiciendam.

*Probat*ur *tertia pars*: quia quicumque ignoraret quid esset sonus, per hoc, quod diceretur ipsi esse talis qualitas, posset ipsam distinguere ab omnibus aliis qualitatibus & rebus: ergo bene sic describeretur.

35. Dices non constare quod id, quod auditur sit qualitas: ergo supponitur in definitione aliquid competere sono, de quo non habetur vlla certitudo.

Contra, quia illud quod auditur debet esse aliquid: non substantia, nec quantitas, quia hæc manere possent quando nihil auditur æque ac quando quidpiam auditur: non etiam relatio, quia hæc nequit producere speciem absolutam, nec per se primo percipi potest: ergo debet esse qualitas, quia nihil aliud relinquitur in quo possit consistere.

Dices esse motum.

Contra primo, quia potest esse motus vehementissimus, & nihil audiri. *Secundo*, quia motus est sensibile commune non proprium. *Tertio*, quia sonus causatur per motum secundum Philosophum *tex. 78. Quarto*, quia motus formaliter est relatio: ergo non potest percipi per se directe ab vlla potentia externa, nisi simul percipiat ab ea aliquid aliud. Quando autem Philosophus dicit 2. de anima c. 8. sonum esse motum; intelligendus est in sensu causali, non formali, ita scilicet, ut non velit sonum esse formaliter motum, sed eum mediante motu causari.

CONCLUSIO II.

36. Sonus non deferretur ad auditum quoad esse reale suum, sed mediantibus speciebus impressis. Hæc est communis; & probatur: quia si sonus quoad esse reale suum deferretur ad auditum, vel idem ipse sonus, qui primo producit ad collisionem duorum corporum, vel alius sonus distinctus: non primum, quia ille sonus primo productus non potest deferri absque subiecto in quo primo producebatur; quia alias accidens migraret de subiecto in subiectum; neque potest deferri cum subiecto, tum quia aer ille, in quo primo producebatur non potest esse tantus, ut possit sufficere ad hoc ut realiter spargatur per omnes illas partes in quibus auditur vox; tum quia si aer ille cū sono in se producto deferretur ad organum auditus, quemadmodum odor deferretur ad odoratum: non perciperetur sonus ut distans, sed ut præsens, contra experientiam.

Non

Sonus est obiectum adequatum auditui.

Structura auris.

Organum auditus est aer in tympano inclusus.

Sonus non deferretur ad auditum quoad esse reale suum, sed mediantibus speciebus impressis.

Non etiam secundum, quia alias primus sonus non audiretur, sed alius ille sonus qui deferretur ad auditum, ideo enim deberet deferri ad auditum realiter, ut posset audiri: ergo primus sonus, si non deferretur realiter, non audiretur.

Confirmatur: quia ille alius sonus qui deferretur realiter, vel produceretur simul cum primo sono, vel postea. Si simul: ergo frustra produceretur, quia sufficeret ipsemet primus sonus: si postea, ergo non audiretur sonus ab illis qui sunt vicini statim ac produceretur, contra experientiam.

Probatur secundo conclusio: quia color potest videri à visu, quin deferatur realiter ad ipsum, per hoc quod deferatur intentionaliter: ergo & sonus, à paritate rationis.

CONCLUSIO IV.

Sonus non
deferretur
ad auditum
per species
intermediam
productam
transacto
sono.

37. Sonus non deferretur ad auditum per species intentionales successive productas post transactum sonum. Hæc est contra *Arriagam*, qui putat sonum statim ac produceretur producere aliquas species, quibus statim audiri possit dum est: eo autem transacto perseverare illas species, & producere postea alias species in parte remotiori, quibus mediantibus postea idem sonus audiri possit.

Probatur: quia species externæ intentionales dependent in fieri & conservari à suo obiecto: ergo species soni nequeunt existere non existente ipso sono. Probatur antecedens, tum autoritate communi omnium *Philosophorum*, tum *Arriagæ* excepto: tum quia sic dependent reliquæ species præter species soni, ut ipsemet fatetur: nec est vlla specialis ratio de sono, ob quam diceretur non habere talem dependentiam: tum denique quia ideo dantur istæ species ut possit ipsum obiectum, quoad esse reale suum percipi: sed non potest percipi quoad esse reale suum, nisi quando existit: ergo nec species eius debet perseverare nisi dum ipsum existit.

Probatur secundo, quia auditio non potest percipere nisi aliquid realiter existens, sicut nec vlla alia potentia externa: sed posset secundum sententiam *Arriagæ*, ergo.

Confirmatur utraque hæc probatio: quia experientia, ob quas movetur hic author ad tenendam hanc singularem doctrinam de natura specierum & auditionis, posset saluari absque ea: ergo male recurritur ad ipsam. Antecedens patebit ex dicendis inferius.

Probatur tertio, quia si species productæ in prima sphaera durarent post sonum & prima auditionem eius, ut tenet adversarius, deberet iterum mediantibus illis speciebus audiri idem sonus, contra experientiam. Probatur sequelæ: quia sicut transacto sono illæ species possunt producere in alia sphaera alias species, quibus audiat sonus transactus, ita in eadem sphaera in qua ipsæ sunt, poterunt determinare auditum ad auditionem soni transacti.

38. Confirmatur hoc: alia species productæ in alia sphaera determinant auditum existentem in illa alia sphaera ad auditionem soni transacti, secundum ipsum: ergo & primæ species similiter determinabunt auditum existentem in prima sphaera, quia sunt eiusdem rationis cum speciebus secundis: nec vlla prorsus est ratio disparitatis.

Confirmatur secundo: quia propterea ipsemet negat sonum realem deferri ad auditum, quia deberet bis audiri in eodem loco: sed non magis hoc sequeretur de sono, quam de specie, si ponatur species eo modo quo hic author: ergo non debet sic poni.

Probatur quarto: quia illæ species primo productæ, si essent aptæ natæ producere species in altera distantia transacto sono, essent etiam natæ illas producere existente sono, neque enim existentia soni potest eas impedire, sed potius deberet eas adiuvare: ergo in illo instanti in quo producuntur, causarent species in altera illa distantia, & sic audiretur sonus æque cito in ulteriori distantia, ac in proximiori contra experientiam. Probatur prima consequentia: quia causa naturalis debite applicata debet producere effectum: sed illæ species essent causæ naturales & æque bene applicatæ pro primo instanti, ac pro secundo: ergo.

CONCLUSIO V.

quando
sonus au-
ditus,

39. Quotiescumque sonus aliquis auditur bis, primò à vicinioribus, & postea à remotioribus, ipsemet sonus realis debet

multiplicari per medium. Hæc videtur esse communior sententia cum *Dino Thoma 2. de anima scilicet 16. contra Arriagam & Ruvium.*

Probatur: quia sine tali multiplicatione non posset ab illis posterius audiri, quam ab aliis: ergo. Probatur antecedens: quia non posset sic audiri si maneret in eodem loco quo prius audiebatur, quin audiretur bis ab illis à quibus primo audiebatur, semel quidem, cum primo produceretur, & postea etiam cum audiretur à remotioribus, à quibus posterius audiretur: neque enim possibile est, quod sonus realis existens hic pro secundo instanti posset determinare siue mediate siue immediate remotiores ad audiendum, quin etiam determinaret proximiores. ergo debet sonus reperiri in alio loco quando postea audiretur, in quo non fuit quando primo audiebatur: sed idem ipse sonus, qui primo produceretur, non est qui reperitur in illo alio loco: ergo alius, & consequenter multiplicatur sonus per medium in illo casu. Probatur minor, quia non est verisimile quod idem ipse exiguus aer, in quo primo producitur vox aut sonus possit dispergi in tot partes, ut possit accedere ad omnes illas partes, ex quibus audiri potest ab illis, à quibus omnium ultimum potest audiri.

40. Obiicitur, non potest explicari quomodo hæc multiplicatio fieret: ergo non est asserenda.

Respondetur negando antecedens: facile enim fieri potest per agitationem illam aeris sequentem primum motum, per quem primus sonus produceretur. Itaque sicut sonus primus producitur per motum aeris resiliens ex percussione duorum corporum, & sicut iste primus sonus producit in eodem ipso tempore quo existit, species usque ad determinatam sphaeram, per quas statim potest intra illam sphaeram audiri: ita alius aer in aliqua distantia motus cum proportionem ad motum prioris aeris, causat postea alium sonum similem, qui etiam alias species ad aliam sphaeram ultra se immittit, per quas in illa sphaera audiat: & ita successus.

Obiicitur secundo: si sonus alius produceretur ultra illam distantiam, in qua audiebatur primus sonus, deberet postea audiri in eadem distantia.

Respondetur primo, hanc difficultatem æque valere contra omnes alios modos dicendi, & quidem magis contra aliquos.

Respondetur secundo negando sequelam, quia ille sonus non debet audiri nisi ubi transfundit species: non transfundit autem species nisi ad partes illas ulterius, ad quas motus dirigitur, ut patet experientia, & certe sicut impulsus impulsus projecto non movet ipsum nisi ad partem ad quam dirigitur motus: ita non est mirum quod sonus non deberet producere suas species nisi ad partem ad quam antepellitur: cuius ratio à priori posset esse, quod ille aer sit dispositus ad recipiendas illas species, aer vero contentus intra primam sphaeram non sit sic dispositus.

Obiicitur tertio: sonus potest causari intra vas æneum, sed non potest extra vas illud aer moveri per motum illum factum intra illud vas: ergo non debet multiplicari sonus extra vas.

Respondetur hanc obiectionem, quæ est *Rubij*, æque facere contra ipsummet, quia si non potest aer extra illud vas per motum intra factum moveri, profecto nec poterit aer intra ipsum moveri extra ipsum.

Dico ergo si sonus ille audiat ab aliquibus prius, & ab aliis posterius, necessario moveri debere aerem extra ipsum positum, postquam movetur aer intra ipsum inclusus, idque fieri potest siue per hoc quod aer inclusus motus percellat aerem intra poros ipsius receptum, & hic aerem exteriorem: siue per impulsum impressum isti vasi, & mediante ipso aere exteriori.

Hinc sequitur primo, nunquam audiri sonum, qui non existit cum auditur, nec manere speciem impressam abfque suo obiecto, nec causam naturalem debite applicatam pro vilo instanti aut tempore suspendi à suo effectu, quas omnes inconvenientias incurrit *Arriaga*.

42. Sequitur secundo, sonum non esse qualitatem partim permanentem & partim successivam, secundum easdem partes reales & formales, cuius oppositum tenet

Ruvius

Sonus non
est quali-
tas par-
tem per-
manens
& partim
successi-
va.

Rursum: quia ideo esset huiusmodi qualitas, quia nisi esset successivus, non posset successivè produci, nec desinere contra experientiam; & nisi esset aliquantulum permanens idem sonus quando primo auditur deberet desinere, & sic non posset postea audiri à remotioribus; sed ex conclusione habetur quod non sit idem ipse sonus realis formaliter loquendo & propriè, qui auditur postea, sed alius omnino distinctus. Dixi autem, *secundum easdem partes reales & formales*, quia posset dici esse idem sonus æquivalenter & moraliter, sicut dicitur idem fluvius esse hodie & heri; & in hoc sensu etiam posset dici quod sonus habeat aliquam permanentiam moralem.

43. Sequitur tertius species soni non produci successivè ab eodem sono, ita scilicet, ut prius producat species in vna parte medij; & postea in altera parte: nam cum idem ipse non sit postea, non potest producere species: itaque omnes species quas potest producere idem sonus, æquæ cito illas producit per totam suam spheram, & consequenter etiam æquæ cito auditur in tota illa sphaera, neque quoad hoc est aliqua differentia inter species visibiles & audibiles, quamvis possit esse differentia quantum ad hoc, quod visibilia possint transfundere species ad longiorem distantiam quam audibilia; & hinc oritur quod color aut lux existens in aliquo loco possit videri in alio loco, in quo sonus quantumvis magnus, excitatus in eodem loco in quo essent isti colores, non posset audiri.

44. Sequitur quarto, rationem cur lux etiam successivè producta simul cum sono, citius multo videatur in aliqua distantia quam audiat sonus, quia scilicet per totam illam distantiam potest transfundere species, sonus vero cum ipsa productus non potest alius autem sonus, qui postea auditur in illa distantia producit post lucem; unde non potest audiri æquæ cito, ac lux videtur.

45. Sequitur quinto, echo fieri mediante progressu soni, & reflexione specierum ab ipso causatarum ob oppositum obstaculum, estque verisimile quod ipse etiam sonus aliquando reflectatur, præsertim quado sunt variae specierum reflexiones. Propterea autem audiuntur vitæ voces, & non omnes per hanc reflexionem, quia quando reflectebantur primæ voces, audiebantur ultimæ voces per species directas, his autem per illas species auditis, non est impedimentum aliquod quominus eadem iterum per illas species reflexas audiantur.

Sequitur sexto, sonum produci in aëre, tanquam in subiecto, neque enim alia corpora, quæ ad productionem soni concurrunt, moventur localiter ad tantum spatij, ad quantum sonus extenditur & multiplicatur: ergo debet necessario produci in aëre.

CONCLUSIO VI.

46. Non solum aër, sed etiam aqua est medium aptum ad recipiendas species soni. Hæc est communis contra *Hurtadum hic*.

Probat: quia experientia constat pisces sonos in aëre apud nos excitatos audire, nosque pariter motus sub aquis ab iis editos, & fragorem lapidum sub aquis se mutuo collidentium audire. Dicere autem quod hoc accidat ratione aëris in poris aquæ inclusi, est diuinare absque fundamento.

Confirmatur: quia nihil impedit, quo minus aqua sit subiectum sufficiens ad recipiendum speciem soni; & quemadmodum species coloris non solum per aërem, sed per vitrum deferretur, non est vllum inconueniens, quin similiter species soni per aërem, & aqua deferri possint. Nec refert quod Philosophus dicat medium, in quo fieri debet sonus, esse aërem; nam loquitur de medio magis accommodato, & per quod communis deferretur.

CONCLUSIO VLTIMA.

47. Tria corpora realiter distincta requiruntur ad productionem soni, quæ tamen non debent esse semper discontinua. Hæc est communis, & *probat*: quia si aliquando non requirerentur, maxime, quando excitaretur sonus percutiendo aërem virga, hoc enim exemplo vtuntur ad uersatij ad probandum oppositum: sed tum concurrunt tria realiter distincta, nempe virga, & duæ partes aëris,

quæ diuiduntur. Et ex hoc ipso probatur secunda pars, nam illæ duæ partes aëris, quæ cum virga concurrunt, continuantur inter se. Quod vero aliquando etiam concurrant tria corpora realiter discontinua, patet quando excitatur per collisionem duorum lapidum, v.g. tum enim illi duo lapides, & aër concurrunt, quæ omnia inter se non solum distincta, sed discontinua sunt.

QVÆSTIO III.

De olfactu.

IN interiori parte nasi reperiuntur duæ carunculae similes extremitatibus mammillarum, quas propterea carunculas mammillares appellant, seu processus mammillarum; præterea sunt ibi rami nervorum, quos vocant membranam narium. Hoc supposito, aliqui putant sensorium olfactus esse ventriculos, seu sinus anteriores cerebri, à quibus deriuantur prædictæ partes reperiæ intra nasum. Alij putant illud sensorium esse nervos descendentes à cerebro. Communiter vero tenetur carunculas mammillares esse sensorium odoratus.

CONCLUSIO I.

48. Probabilium est carunculas mammillares esse sensorium olfactus. Hæc, ut dixi, est communis cum *Philosopho 2. de anima text. 10.*

Probat: quia nihil aliud conuenientius assignari potest.

Confirmatur primo, contra primam sententiam: quia sicut ceteri sensus externi habent suum sensorium in parte aliqua inclusa in toto organo deferuiente ad sensationem; ita etiam de olfactu dicendum est: ergo non debet collocari in vlla parte cerebri.

Confirmatur secundo, contra secundam sententiam: quia nervi illi extenduntur ad exteriores partes nasi, in quibus non sentimus odores; & quia quemadmodum visus, & auditus non habent sensorium in nervis precedentibus à cerebro, ita nec olfactus in illis collocari debet, præsertim cum nulla sit ratio, quæ ad id vergeat, vel experientia.

49. Obiicies primo: cerebrum recreatur odoribus: ergo est organum olfactus.

Respondet negando consequentiam, quia non recreatur per odores percipiendo ipsos, sed quatenus ipsi habent, vel secundum se, vel secundum qualitates concomitantes conuenientiam aliquam physicam cum cerebro.

Obiicies secundo: secundum *Philosophum* nares sunt organum odoratus.

Respondet ipsum non intelligendum de organo, in quo immediate fit olfactus, sed de instrumento, per quod deferretur odor ad sensorium: vel certe capit nares pro integro naso quatenus constituitur ex omnibus partibus interioribus, & exterioribus, & sic potest vocari organum olfactus, sicut oculus organum visus, quamvis non in omni parte ipsius fiat olfactio immediate, sed in mammillis, sicut non in omni parte oculi fit visio, sed in pupilla, aut aliqua alia parte eius.

CONCLUSIO II.

50. Odor est obiectum proprium ad æquatum olfactui, & optime describitur esse qualitas perceptibilis à solo sensu olfactui. Hæc est communis, & solum negari potest quoad secundam partem, ab illis, qui eum putant esse substantiam.

Probat autem prima pars: quia omnis odor potest percipi ab olfactu, & nihil aliud potest olfactus percipere præter odorem, quod non possit ab aliis sensibus percipi: ergo. Dixi autem, quod non possit percipi ab aliis sensibus, quia sensibile commune aliquod potest percipi ab odoratu, quod non est odor, at illud potest ab aliis sensibus percipi.

Probat secunda pars: quia per illam descriptionem potest distingui ab aliis sensibilibus: à propriis quidem, per hoc quod percipiatur ab odoratu, à communibus vero per hoc quod à solo odoratu sit perceptibilis. Quod

Vuu autem

Carunculae
mammillares
sunt
sensorium
olfactus

Tria corpora
realiter
distincta
requiruntur
ad sonum.

Sonus
produci-
tur in aë-
re tanquam
in subie-
cto.

Quomodo
fit
echo.

Cur lux
citius vi-
deatur
quam so-
nus au-
diatur.

Sonus non
produci-
t species
sui prius
in vno lo-
co & pos-
tea in
alio.